



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XXXIV. De ijsdem Bestijs, ex cap. 13. Apocal. à versu 11.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Artio est
Imperator
persona dia-
boli.

mano Turcicum coniungunt; alii adorationem illam ingenti principum contumelia exponunt. Aretius in Apoc. 13. 7. *Admirari Bestiam est imperii successum, & felicitatem admirari, Augustum, sanctum, sacrosanctum, immortale illud predicantes.* Pergit Aretius: *Secundo Adorauerunt Draconem, hoc est, diabolum in eius persona colunt, & adorant.* Draco enim diabolus est, qui sua ornamenta affingit imperio. En quo vos odia inconsiderate professa propellunt? Papa vobis est Antichristus, bestia secunda; hoc vt miseris esse verum appareat, primam bestiam secunda nequiorum decuplo, Imperium Romanum esse statuitis, adeo effrontes, adeo temerarii, vt cum secundam bestiam primam ancillantem occidendam, tormentis lacerandam; exurendam dicetis, primam maiore pena dignam non animaduertatis. Deinde vestros quoque principes facitis bestie adoratores, illi enim voce & diplomatis suis imperium sanctum, augustum, &c. nominant. Pergit ille: *Vide quid sit colere diabolum, hoc est, admirari nimium, maiestatem, & felicitatem imperii Romani, de reformato etiam imperio agere proficetur v. 8. & ad v. 2. in margine notat.* Diabolus Romani Imperii *ὁ υἱος τοῦ*. Deniq; adiungit, eos qui hac faciunt, non esse scriptos in libro vite agni. An igitur principes, comitesq; vestri ô Collegæ Antibelarmuniani, vestro iudicio, scripti non sunt in libro vite agni? An omnes subditos imperii excluditis cælo? nam eo titulo imperium honorant, quem Idololatram, hoc est, diabolicum cultum Collega vester in Heluetia, vel vrbe Heluetice confederationis tanto studio, tanto odio denarrat: sentire vos itaideo dubitare non debeo, quandoquidem tantam inter vos dogmatum cõsensionem esse asseritis, deinde alia ratione nocere Papæ non potestis; nisi per latus imperii Romani eum configatis, neq; mitum, aut nouum est, si Papam pessundare liceat, paratos vos esse nauem qua nauigatis perforare, Scio quo vos Conscriptorialis violentia trahat. Hæc alterius disputationis sunt, quætionem vnicam nunc propono. Disputatio aphoristica contra Bellarminum excusa est Heidelbergæ, typis Ioannis Lancelotti Academicæ Typographi, cui subscriptum in hæc verba: *Cum privilegio & Romani imperii Vicarii.* An vestra est hæc, an typographi? Idolomania: nam sanctum dicere imperium, est diabolum colere, adorare draconem, vt vestri docent. An forte imperium Romanum, cum habet Vicarium caput, est sanctum, cum vero primum, proprium, & sui nominis, est profanum in quo, vt ait Graferus, sit plenitudo diabolismi?

Imperium
non est à
diabolo, nec
eius vica-
riatus.

§. 7. Ludibrium debetis, non Turcis modo, & Persis, sed Francis, Italis, Hispanis, Polonis, cum vestrum imperium Sathanæ Auctori transcribitis. Multi vestrum in eo adlaborarunt, vt ostenderent, transpositionem imperii à Pontifice factam non esse, non confirmationem, non coronationem, nulla ornamenta accipere à Sacerdote Romano, & cur obsecro? Videte & doctrinæ, & conuicti portentosam Imperiiq; legibus indicandam malitiam, Diabolus (inquit Benedictus Aretius collega vester) *sua ornamenta affingit imperio.* Diabolus Romani imperii *ὁ υἱος τοῦ*, cooperatur, adiutor. Tanti erat negare communionem Papæ, vt ornamenta tribuerentur Diabolo? Satis est, abunde est, odium sacerdotii Apostolici, amor est demonis. Hortescio referens. In hoc laborarunt tam multa scriptorum vestrorum ingenia, vt Imperium omni iurisdictioni, quam vetustas dedit Pontifici, subducerent, non vt libera esset, & omni modo ex illa maiestas, sed Sathanæ auctoraretur. Vt excluderetur Vicarius Christi, Seruus seruorum Dei, *ὁ υἱος τοῦ*, & esset, & ornator, ille fratrum accusator, Christi aduersarius, Dæmon. Tam odiosa Roma, vt diadema malitiae tartarus summum itaq; & hoc loco fastigium tenet impietas. Tantum progressa odio veteris Ecclesiæ, vt in eius locum Draconem tartareum cooptaret, regna illi tribuat.

Quid super est aliud quam vt credat dicenti: *mea sunt omnia regna mundi, & promittenti: Hæc omnia dabo vobis, si cadentes adoraueritis me, & conditionem spe regni expleant, cadantq; & adorent diabolum? nihil non illi facient, quibus imperium Romanum appellare sanctum, est colere diabolum. Et sanctum dicere Imperium est dæmonilatria.* est ne peccatum libro suo subscribere, quod fecit vester pseudopropheta.

Anno

Mat Vres Centis sponsæ DIVÆ?

Iterum quæro: si idolomania est Augustum dicere Imperium Romanum, vt vult Aretius Caluinista, anne eo se crimine obstrinxerit Beza, dum sub Augusto nomine Elisabethæ Britannicæ, noui testamenti versionem edere se scribit. An nomen Augusti in Augustali imperio est cultus dæmonum, in ditione vnus insulae *ὁ πονηρὸς ἄνθρωπος*, & fidelitatis insigne?

Minoribus
tribuunt
honorem,
quem ma-
gnus negat.

§. 8. Tertio quæro. Anne Casparius Waserus, qui plagam Regiam Graferi Serenissimo regi Britanniarum vendidit, sit idololatra, nam in illa præfatione, ait: *Tertium fuit Maiestatis tuae auctoritas, quæ & in ipso summa, ac plane diuina residet, & talis iam olim residerebat in immensa magnitudinis, & claritudinis profatoribus tuis, &c.* pergit.

Quorum consideratio omnium, auctorem huiusce operis iustissime mouit, & permouit, vt ad sacratissimi patrocini, & celsissimi præsidii Maiestatis tuæ aram istas lucubrationes quasi suspenderet. Nonne Maiestatis auctoritas plane diuina, Immenso magnitudo, & claritudo, sacratissimum patrocinium, Celsissimum præsidium, maxime cum ara additur, in qua flamines Waserus & Graferus adulationes sacrificant, nonne inquam defendunt ista verba tam ampla Germanos Principes, cum vocant Romanum Imperium sanctum? Cum Pareus I. de Vnione, & Synodo Euangelicorum, Serenissimum magnæ Britannicæ Monarcham vocet D. Iacobum VI. Si ille Diuus, cur non Imperator Augustus. Illud enim D. Diuum, non Doctorem significat.

Quorsum ista tendant vel cæcus viderit, vtinam non interitu suo Germania nostra discat. Omnes reges sunt sacrosancti, coluntur à suis, in admiratione sunt, eorum læsa maiestas supplicis rebellium sese vlscitur, an solum Imperatorem sacrosanctum dicere, colere, mirari idololatria est? an solum hoc regnum est diabolicum? Quid aliud Propheta isti agunt, quam vt miseram Germaniam fraterno collisam duello, seruitio & libidini tyranni Mahomerani contradant?

CAPVT XXXIV.

De iisdem Bestiis, ex cap. 13. Apocal. à

versu 11.

§. 1. De altera bestia agitur à v. 11. ad finem capituli, quam Pontificem, seu Pontificatum esse vult noster propheta. Spiritus sanctus autem qui referauit ora Ioannis Euangelistæ, ea symbola adiunxit utrique Bestiæ, quibus certo consistet nec illam esse Imperatorem, nec hanc Pontificem.

§. 2. Ratio prima. Secunda Bestia omnem potestatem prima facit in conspectu eius, v. 12. Eam potestatem non facit Papa coram Imperatore, non igitur est altera bestia, nec prior est Imperator.

Pontifex
non facit
potestatem
bestia pri-
ma.

§. 3. Ratio secunda. Et fecit terram & habitantes in ea, adorare bestiam primam, cuius curata est plaga mortis. Pontifex hoc non fecit, non ergo est altera bestia. Resp. Graferus: Pontificem retinere homines in cultu prioris bestie, etsi illa iam non sit. Resp. deo vicissim, tam clarum hoc esse mendacium, quam clarum est meridie liquere. Est n. adhuc Imperium Rom. omnesq; principes eius se ita nominant, & nominantur ab omnibus. Respondeo deinde Adorari bestiam, non quæ non est, sed quæ reuera est, id enim Spirit. S. spiritui mendaci opponit, cuius, inquit, curata

Pontifex
non facit
adorari
Imperato-
rem cultus
latria.

M m *

est pla-

est plaga mortis. Respondeo tertio, multum debere principes imperii, etiam suorum iudicio, Pontifici, qui tam sedulo auctoritatem illis conciliare conatur. Nam facere ut bestia adoretur. Nihil aliud esse vult Aretius, quam velle imperium sacrosanctum, augustum, & venerabile esse, ut olim sub gentilibus fuit; hoc vult Pontifex non tamen caritatem gentilium, vel Imperatorum *ἀποθεώσεως* induci; si male nos, qui Imperium Sacrosanctum, augustum, venerabile esse volumus, si ideo antichristiani sumus, & morti destinamur ab iis qui sub eodem Imperio viuunt, quid merentur illi qui augustum, Sacrosanctum, venerabile esse nolunt? qui humile, profanum, contemptibile esse volunt? tanto odio Germano-Romanæ Maiestatis, ut extrema exempla meritos velint, si qui Imperio bene volunt? an alia vota in Mahometanorum Moscheis concipi, nuncuparique putamus? at maiore scelere nostri Caluino-Turcæ, quia ciues, quia iuramenti sanctitate Imperio deuincti.

Non possum hoc loco ridiculam Illyrici præterire delirationem, facere potestatem corâ bestia, ut ipsa adoretur; interpretatur. Exercere potestatem inuiti Imperatoribus, subicere Imperatores.

§. 4. Ratio tertia. Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret, de celo descendere in terram in conspectu hominum. V. 13. Nemo Pontificum ignis e celo deuocatione Imperatoribus adorationem conciliauit, non igitur Papa est bestia secunda, vel Imperator prima. Quis n. Pontifex quequam coegit titulum Imperii adorare? si adorare est dicere augustum, inuictum quæ etiam Britannii regni titulum adorat Walerus, vocat enim Augustissima auspiciis, ipsum regem Inuictum *ἀνεγερσιν*.

§. 5. Ratio quarta. V. 14. Secunda bestia dicit, ut faciant imaginem bestia, quæ habet plagam gladii, & vixit. Quæ imaginem Imperatoris fieri, & adorari iussit Pontifex, quam illi vitam dedit: Imaginem bestia formam reipublicæ Illyricus. Bullam auream Caroli quarti, eneruam imperii vmbra, alii aliud interpretantur. Si ita res habet, non igitur iam viuum & verum imperium habemus, sed vmbraicos magistratus. Deinde imago est bestia quæ reuixit, viua ergo est imago. Itaque Aretius, imaginem bestia, ait esse Imperatorem electum, vitam vero confirmationem esse. Sed blasphemæ, & stultæ, secunda enim bestia, & bestiam & imaginem simul adorari cogit, & imago bestia, & posterior ipsa Bestia, deinde imago viuens & garrula, non est ipsa bestia, sed imago bestia, nouum enim erat loqui imaginem; nam bestia iam ante blasphemias elocuta fuerat, in Deum & Sanctos, V. 5.

§. 6. Ratio quinta. Bestia secunda faciet omnes habere characterem primæ bestia, aut nomen, aut numerum nominis, hæc Pontifex non præstitit Imperatori, non ille ergo secunda, nec hic est prima bestia. Quis enim vetitus est emere vel vendere sine characterē Imperatorio? Dum characterem quaerimus, Bullingerus est Chrisma, Chytræo iuramentum fidelitatis, Aretio vtrumque etiam doctorum & magistrorum dum inaugurantur. Illyricus extendit ad rasuram & characterem ordinis. Graferus characterem ordinis, exorcismum, sacramentum confirmationis. Sutilius communem viuendi modum Papistarum, elidunt illa semutuo, & a nostris sæpe refutata sunt, mihi satis est insignem Sectariorum in conuitiando ostendere instabilitatem; nil enim contra Pontificem omnia illa faciunt, quod in hunc modum irrefragabili *ἀποδείξει* demonstro.

Quinque sunt quæ Euangelista, & Propheta Iohannes bestia Symbola proponit, Imago bestia, vita imaginis, character bestia, nomen bestia, numerus nominis bestia. Triaposteriora omnes Pontifici attribuant, maxime noster præstigiator. Ut probent eum esse Antichristum, mira nomina fingunt & refingunt,

quæ apud Lutherum, Chytræum, Graferum, & nostrum quem nunc refutamus prophetam inueniuntur, nam de characterē totum librum sextum implet. Characterem bestia ait esse nomen eius hoc proprium, vel numeris signatum, vel ænigmaticum, tædet nugatum, ita ad explicandum argumentum procedo. Antichristus ille est, cuius imago character, nomen, numerus nominis in Apocalypsi describitur, sed illa non sunt Pontificis, non igitur est Pontifex Antichristus. Propositio controuersa non est, utraq; enim pars illa Antichristo tribuit. Assumptio probatur. Imago, character, nomen, numerus nominis sunt primæ bestia, seu primariæ, non secundæ, quæ primæ ancilatur, sed iuxta conuicia Sectariorum, secunda est Pontifex, non prima, Imperium n. aiunt primam esse bestiam, non ergo character, nomen, numerus nominis ad Pontificem, sed ad Imperatorem, & Principes imperii pertinent, si illorum vera est hæresis. Nunc itaque probandum est, hæc primæ esse, non secundæ bestia.

§. 7. Primo. Contextus ipse docet; eiusdem bestia esse imaginem, cuius est character, nomen, numerus nominis: Imago est primæ bestia. Dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestia, quæ habet plagam gladii & vixit. v. 14. Pergit v. 15. Et datum est illi, ut daret spiritum imaginem bestia, & ut loquatur imago bestia: & faciat, ut quicumque non adorauerint imaginem bestia occidantur. Nulla igitur controuersia est, de Imagine, illa enim est eius bestia, quæ habet plagam gladii, & vixit. Sed eiusdem bestia est character, & nomen, quod probat ex v. 16. Et faciet omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis. Et v. 17. Et ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem aut nomen bestia, aut numerum nominis eius. Non dicitur secunda bestia id agere ut imago, vel character suus habeatur, sed bestia, primæ scilicet. nec dicit, numerum nominis sui, sed numerum nominis eius.

Secundo. c. 14. v. 9. 10. 11. Si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, & hic bibet de vino ira Dei, &c. Nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerint bestiam & imaginem eius, & si quis acceperit numerum nominis eius. Clarius Spiritus S. dicere non potuit, eiusdem bestia imaginem esse, & characterem, imago prioris est, ergo & character, prior est imperium ex ieditio Sectariorum sententia. Character ergo est imperii, non pontificatus, omnis ergo calumniarum & conuictorum mephitis in Augustos, & Electores Imperii, principisque exhalat, quam merito subditi omnes abominamur, liber autem est Pontifex.

Tertio. c. 15. 2. Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne, & eos qui vicerunt bestiam, & imaginem bestia, & numerum nominis eius, stantes supra mare vitreum, &c. Non alius bestia est imago, & alius numerus nominis; Imago non est bestia pontificia, ex consensu hostium Pontificis, nec igitur numerus nominis, itaq; vanitas tot nominum in pontifices confictorum principes petit, ad eos enim primam bestiam pertinere ingratum & flagitiosum subditi Calvinistæ calumniantur.

Quarto. c. 16. 2. Pœna reos secuta idem iudicat. Et factum est vulnus saui & pessimum in homines, qui habebant characterē bestia, & in eos qui adorauerunt imaginem eius. Cuius imaginem adorauerunt: Eius, cuius erat, & character.

Quinto. c. 19. 20. Et apprehensa est bestia, & c. u. pseudo propheta: qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestia, & qui adorauerunt imaginem eius. Pseudopropheta est secunda bestia, minor ipsa, quæ simpliciter bestia dicitur, ideo nec secunda dici potest Pontifex, ne quidem peruicaci malitia Sectariorum, cum enim extollere illum dicant, sese supra omne *ὅσα οὐρα*, quomodo sui negligens hoc agit, ut diuinitatis opinionem primæ bestia conciliet?

Nequic-

Considera quid de imperio sentiant Caluini.

Ministri perduelles.

Impii ministri in formam Reipublicæ Germanicæ.

Character non est bestia secunda.

Pontifex se non extollit supra omnes *ὅσα οὐρα*.

Ne quicquam igitur tantis furoribus, tanto apparatu, Character, nomen, numerus nominis iactatur in Romano Ecclesiam, frustra bella & cruentus cedes machinantur, non est illa, quam insequuntur fera: fragili carni, hoc est, clero, ut Graecus interpretatur, quaerunt illidere dentem, solido autem infringunt, hoc est, eodem interprete, Laicis. Misericordie potius, quam insecutione, vel risu digna, multorum Germanorum, etiam Principum simplicitas, qui cum numerum nominis 666. in vocula aliqua, a suis intuentum audirent, vt *ῥωμανοί* romani, vt *λαϊκοί*, aliaue, continuo *ῥωμανοί* admirati, imperioso ostracismo a Christiana republica omnes pontificios exulare iusserunt, ignari illa subtilitate Politicum Magistratum, Imperatorem, & nobilissimum imperii Dynastiam, tanquam bestiam, in stagnum sulphuris, & ignis abiici.

CAPVT XXXV.

Pontifici ad Consilia, gubernationesque iungi Cardinales.

Cardinalium nomen recens est, res antiquissima; sunt enim precipui summi Pontificis senatus, sunt gubernatores, consiliarii, assessores. Ita dicti quod in illis, velut cardinibus Ecclesiae negotia verterentur; suntque antistites & duces religionis, ita Chalcondylas l. 6. vbi de Bessarione, & Isidoro in Conc. Florentino Cardinalibus electis agit. Qui tamen labitur cum triginta eligi tradit. Syluester in Romano Concilio, nominat presbyterum, & diaconum Cardinale. 2. q. 7. c. 5. Presul non damnabitur nisi cum 72. testibus: nec presul summus a quaquam iudicabitur, quoniam scriptum est, non est discipulus super magistrum, presbyter autem Cardinalis nisi cum 44. testibus non damnabitur: diaconus vero Cardinalis vrbis Romae nisi cum 27. testibus non condemnabitur.

Qua ex re colligimus aliarum Ecclesiarum etiam Cardinales fuisse, & Cardinales vrbis Romae longe infra Episcopos fuisse, nam 27. testibus condemnantur, cum Episcopi non nisi 72. quod etiam in cap. 3. repetitur. Volaterranus in Anthropologia, sub Benedicto non eos ita nominari incepisse arbitrat an. 1031. verum iam anno 950. sub Lodouico 4. Othone magno hoc nomen vitatum fuit. Postea crescente negotiorum multitudine, firmatoque ciuili Romano Ecclesiae imperio in Italia, Sicilia, aliisque locis eorum creuit auctoritas, dignitas, opes; itaque recte Chalcondylas ait Pontificem illis reditus sufficientes dare assignatis regionibus, vnde alii maiores, alii minores percipiant.

S. 2. Cardinales iussu Conc. Basileensis scrutinio eliguntur, verba Sess. 23. sunt ista. Non fiat Cardinalium electio solum per auricularia vota, sed illi solum assumi possint, in quos factio vero scrutinio ac publicato, maiorem partem Cardinalium: per subscriptionem manus propriae constituerit collegialiter consensisse. Desuper etiam Apostolica littera cum subscriptione Cardinalium conscribantur, decreto huius sacri Concilii in quarta sessione solemniter publicato, quod incipit. Item cum multiplicatio Cardinalium, &c. in suo robore inuolabitur permanens: Cum recipient Cardinales sua dignitas insignia, quorum significatio est, vt pro bono vniuersalis Ecclesiae sanguinem proprium (si opus sit) non vereantur effundere, iurabunt in publico consistorio (si sint in curia: si vero absentes, in manibus alicuius Episcopi & publice, cui per litteras Apostolicas, in quibus forma iuramenti inserta sit, commissum fuerit) in hunc modum: Ego N. nuper assumptus in sancta Romana Ecclesia Cardinale, ab hac hora in antea ero fidelis beato Petro, vniuersaeque & Romanae Ecclesiae ac summi Pontifici, eiusque successoribus canonice intrantibus, laborabo fideliter pro defensione fidei Catholicae, extirpationeque haeresum & errorum ac schismatum, reformatione morum, ac pace in populo Christiano. In alienationibus rerum & bonorum Ecclesiae Romanae, aut aliarum ecclesiarum, & beneficiorum quorumcumque, non consentiam, nisi in casibus a iure permixtis, & pro alienatis ab Ecclesia Romana recuperandis, pro posse operam dabo. Non consulam quicquam summo Pontifici, nec subscribam me, nisi secundum Deum & conscientiam meam. Quae mihi per sedem Apostolicam commissa fuerint, fideliter exequar. Cultum diuinum in Ecclesia tituli mei, & eius bona conseruabo, sic me Deus adiuuet.

Hodie quoque ita quandoque eliguntur, sed cum arbitrio Pontificis nominantur, consensu aliorum Cardinalium adiungitur, estque vna de precipuis Papae virtutibus, prudentia, sinceritasque bonos Cardinales constitutiendi. Non enim tanta dignitatis scopus est, vt in purpura resplendant, sed vt sanguinem pro fide & religione effundere sint parati. Itaque insignia sic honoris esse voluit Ecclesia, vt simul officii commonitionem habeant, toga purpurea, & pileus rubeus, color regius est, sed & color martyrum; nam solennitibus martyrum eo colore Ecclesia vitur.

S. 3. Numerus Cardinalium nullus est certus, plurimos, si idonei sint, esse, optatissimum, atque optimum est. Quod tempore Pontiani, anno Domini 234. dicantur a glossatore 236. fuisse, non tam alienum a vero est, quam nonnulli arbitrantur, etiam enim nomen defuerit, consilium tamen Romani cleri magnum fuit, & copiosum, Concil. Basileense moderatum numerum praescribit, Sess. 23. Cum summo Pontifici sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, in dirigenda Christiana Republica collaterales assistant, necesse est vt tales instituantur, qui sicut nomine, ita re ipsa cardines sint, super quos omnia vniuersalis versentur & sustententur Ecclesia. Statuit igitur sancta Synodus, vt deinceps eorum numerus adeo sit moderatus, quod nec sit grauis Ecclesiae, (qua nunc ob temporum malitiam plerisque grauius affligitur incommodis) nec superflua numerositate vilescat. Qui de omnibus Christianis aetate reque, quantum commode fieri poterit, assumantur, vt notitia rerum in Ecclesia emergentium facilius haberi, & super his maturius deliberari possit, sic tamen quod numerum viginti quatuor inter hos qui nunc sunt & assumendos, non excedant, ita quod de vna natione ultra tertiam partem respectu Cardinalium pro tempore existentium, ac de vna ciuitate & diocesi ultra vnum inde oriundum, & de ea natione qua nunc ultra tertiam partem habet, vsque ad ipsius partis reductionem esse nequeant. Sint viri in scientia moribusque ac rerum experientia excellentes, non minores triginta annis, magistri, doctores, seu licentiat, cum rigore examinis in iure diuino vel humano. Si saltem tertia vel quarta pars de magistris aut Licentiat in sacra scriptura. Inter hos autem viginti quatuor, esse aliqui poterunt admodum pauci filii, fratres aut nepotes Regum seu magnorum Principum, in quibus cum circumspectione & maturitate morum compotens literatura sufficiat.

Quidam 72. constituendos censuerunt, quod si numerus fuerit seniorum apud Iudaeos, & discipulorum Domini. Sixtus 5. decreuit ne plures septuaginta essent, atque inter illos ad minimum quatuor Theologiae doctores ex ordinibus mendicantium assumpti. Quid suadeam, si quaeras, aperte dicam; Si multi sint sumptuosi, & parum gnauis, magno oneri sunt, grauantque Ecclesiam, & offendent inermes; si multi sint, & moderati, laboriosi, prudentes, non potest esse tanta multitudo, vt non maior, sit melior. Salus enim Reipublicae est multitudo sapientum; Ecclesiae etiam salus est dignitas cum virtute, vbi enim duo illa iuncta sunt, summa est auctoritas, & illius usus optimus.

S. 4. Non est minus hoc agendum, vt sint Cardinales diuersarum gentium, quia vt multi sint, & probati; itaque prudenter Bellarion, & Isidorus in Florentino Concilio ad vniorem Graecorum retinendam sint Cardinales.

Cardinales ex omni natione docti, & prudentes, probique legendi.

Regum filii aut nepotes pauci.

Ex ordinibus mendicantium Cardinales.

Si boni sunt, multi sint, si mali sunt, pauci aut nulli sint.

Ex diuersis nationibus sint Cardinales.